



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

6 Primitiae debentur de jure divino.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

DECIMIS, de quibus proximè plura retulimus, æquiparantur primitiæ, ac cum illis ejusdem generis, ac juris sunt, idè sub eadem obligatione debentur, † Hieron. super Malach. relat. in c. revertimini. 16. quest. 1. & quantitas primitiarum non est determinata. cap. 1. vers. at verò primitia. ext. de decim. & S. Thom. 2. 2. quest. 86. art. 4. sed, qui plus quadragessimam dabat partem, qui minus sexagesimam, & sic licitum erat dare inter 40. & 60. quantum quisque volebat, hæc erat in aridis, & liquidis, sed qui dabat

1. † primitias animalium dabat unum de ducentis. Deuter. c. 14. & 18. glo. in c. Ecclesiast. in verb. & primitias. 13. qu. 10.

2. Primitiæ dicuntur † primi fructus quos sibi Deus, tamquam omnium rerum Dominus retinuit, & quia omnia dat bona, in primitiis eum recognoscere debemus, Rebuff. in tract. de decim. quest. 1. nu. 18. & fuerat inventæ tempore Abel, qui obtulit de primogenitis gregis sui Genes. c. 4. & Rebuff. loco proxime citato † ter autè in anno istæ primitiæ Domino offerebantur, in Paschate de novis granis, in Pentecoste de novis panibus, & in Septembri de vino, & aliis fructibus illius temporis, Romani. n. olim non prius degustare novas fruges, aut vina solebant, quam sacerdotes primitias libassent, ut ait Plin. lib. 18. c. 2. & Rebuff. eod. nu. 18.

3. Introductæ fuerunt † primitiæ in signum rei jam factæ, scilicet liberationis ab Ægypto, per interfectionem primogenitorum, salutis primogenitis Israel, & etiam in signum rei faciendæ, ut scilicet initium operum nostrorum attribuamus Deo auctori omnium bonorum, erant etiam in signum futuri, id est recuperandæ cœlestis

hæreditatis amissæ, quæ est propria primogenitorum. Astenf. lib. 6. art. 8. de deci. deferebantur etiam in recognitionem divini beneficii, quasi aliquis profiteretur, se à Deo fructus terræ percipere, & ideo, se teneri ad aliquid hujusmodi Deo exhibendum 1. Para. c. ult. & Graff. decis. aur. par. 2. lib. 2. c. 27. num. 3.

6. Debentur † primitiæ de jure divino, id est præcepto à Deo facto, ut tenet Rebuff. ead. qu. 1. num. 22. fin. & pertinet ad jus naturale, ut homo aliquid Deo ad ejus honorem exhibeat de bonis sibi à Deo concessis, ex qua causa † olim offerebantur in recognitionem beneficii, quasi homo profiteretur, se fructus terræ à Deo accepisse, & ita offerebantur cum quadam professione, & erant quoddam oblationis genus, Deut. c. 25. & S. Thom. ead. qu. 86. art. 4.

7. Sed non debentur præcepto naturali, quia aliud est deberi ex præcepto, & aliud jure naturali, quia naturaliter quilibet est obligatus benefacienti sibi ad antidota, ut benefacienti benefaciat Bart. in l. ex hoc jure. nu. 11. ff. de just. & jur. & solutionem primitiarum secundum determinationem Ecclesiæ, esse in præcepto tempore moderno, determinat Ecclesia, & quòd secundum consuetudinem approbatam, & indigentiam ministrorum solvantur, tenet Graff. d. c. 27. n. 4. non est tamen præceptum

8. † morale, nec naturale, sed quoddam præceptum judiciale, & figurale. ut primitiæ, id est primi cujuslibet rei fructus dentur, & in his maxime cõsuetudo attenditur. Rebuff. eod. nu. 22. & Graff. loco proxime citato.

9. Laici † consuetudine legitime præscripta, possunt à primitiarum solutione liberari, quia aut ex mente Rebuff. debebantur præcepto judiciali, & evangelica.